

dam cornua homini imponit minime illi debita dum affingit crimina, quibus deludatur, et famæ vel alterius boni damnum incurrat. Profecerunt in hac arte insigniter improbi illi senes, qui calumniam excogitarunt in castissimam Susannam, quasi cum juvene consuevisset, Dan. XIII. Siba servus Miphiboseth, qui occurrens Davidi filium Absalonem fugienti, iniquissime detulit dominum suum, quasi is tunc speraret restituendum sibi regnum patris sui, Davidi adimendum, II. Reg. XVI. famula Saræ, quæ calumniabatur eam attulisse necem septem maritis, Tob. III. Judæi dicentes Christum habere secum dæmonium, Joann. VIII. meretricula illa, quæ a malevolis immissa S. Gregorio Thaumaturgo calumniam struxit, suo se quæstu post patratam libidinem ab eo fraudatam garriciens. Cui Gregorius numerari quidem pecuniam jussit quasi reus fuisset, ne utilem sermonem inturbaret. Verum mox a dæmone obsessa, spumare, capillos sibi evellere, corruere, os fæde contorquere, oculos invertere cœpit, eoque gestu calumniam fateri: tandem precibus Gregorii a dæmone liberata est, Sur. tom. VI. die 17. septemb. Denique, impurus ille, qui Mariam, cui nomen Dolorosa, in Belgio de libidine frustra tentatam, furti falso accusavit, adeoque in carnificis manus impedit, ultimo affectam supplicio. Itaque a dæmone occupatus, et toto septennio vexatus, tandem ad sepulcrum illius Mariæ libertatem consecutus est, Jo. Molanus, in natal. ss. Belgii, 18. junii.

Vidimus quas artes doceat spiritus mendacii. Superest, ut scholam pessimi hujus magistri fugiamus, auditores: nisi quis velit ex hac schola descendere potius quam ascendere. E schola spiritus veritatis ascenditur ad cælum: e schola spiritus mendacii descenditur ad infernum.

CONCIO VII.

TRES FUNICULI SALUTIS DE QUIBUS ARGUIT SPIRITUS SANCTUS MALOS CHRISTIANOS.

I. Amor seu beneficia. 1. Incarnationis. 2. Doctrinæ. 3. Exemplorum. 4. Redemptionis. 5. Adoptionis. 6. Perpetui meritorum thesauri. 7. Eucharistiæ: hinc arguit nos Spiritus s. de peccato. — II. Pudor ob exempla sanctorum: hinc arguit nos Spiritus s. de justitia. — III. Timor judicii et gehennæ: hinc arguit nos Spiritus s. de judicio.

THEMA.

Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia et de judicio. Joann. XVI.

Quando Lamech genuit Noe, dixit: *Iste consolabitur nos, et idcirco vocavit eum Noe, id est,*

consolatio. Sed quomodo putamus consolatore esse fuisse Noe? Forsitan ille perditum illud sæculum consolabatur, ut essent hilares, ederent, biberent, uxores ducerent? Forsitan quia vinum plantavit, ut homines se eo inebriarent? Non sane, non fuit talis consolator Noe. Præco penitentia fuit, et comminabatur hominis perditis imminens diluvium quod post centum viginti annos futurum prædixerat illi Dominus, ut penitentiam prædicaret. Imo tota illa arcæ fabricatio, in qua centum annis laboravit Noe, nihil aliud fuit quam penitentia prædicatio et reproborum increpatio; siquidem ad evitandum diluvii interitum destinabatur. Spiritus sanctus in hodierno evangelio vocatur et ipse *paracletus* id est, *consolator.* Sed qualis sit consolator, mox subjungit Dominus: *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.* Ecce qualis consolator. Nimirum ad instar Noe prædicat nobis penitentiam per sacras litteras, per libros pios, per concionatores, per exempla bona, per internas inspirationes, et sedulo hortatur ut fabricemus nobis navim penitentia (quam ipse in plurimorum cordibus ædificat) quo judicii extremi diluvium evadamus. Non est igitur consolator noster ille, qui loquitur nobis placentia, qui tegit et præterit nostra scelera; sed qui ea increpat, qui nos arguit, qui ad penitentiam et virtutem compellit, hic consolator, hic Noe et paracletus est. Igitur si in diluvio illo perire nolumus, non claudamus aures huic præconi, patiamur et exoseulemur illius increpationem, ejusque hortatu nobis provideamus.

Ecclesiastes, cap. IV. ait: *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Cui doctrinæ conformare voluit se Deus, quando tres adhibuit funes ut traheret se ad hominem eosque robustissimos: amorem, pudorem et timorem; quæ tria indicasse Dominum in hodierno evangelio, sentit Stephanus, in id Malach. 1. *Si ego Dominus, ubi est timor?* Amorem, alliciendo nos beneficiis et promissis: pudorem, excitando nos exemplis sanctorum, timorem, compellendo nos minis et terroribus. Et hæc tria indicantur Luc. XIV. ubi ad cœnam primo, invitantur hospites, quia parata sunt omnia: secundo, mittitur alius servus, qui introducat eos: tertio, mittitur alius qui compellat intrare. Primus amorem, secundus pudorem, tertius timorem significat, ut merito arguere nos possit Spiritus sanctus, si tria hæc vincula ruperimus.

I. Adhibuit Christus amorem, invitando nos ad se beneficiis in primo sui adventu. Ut enim taceamus beneficia creationis et conservationis, quibus nos e nihilo ad sui imaginem, orbis et eorum quæ in illo sunt imperatores fecit, sus-

tentat et conservat, etc. de quibus merito etiam arguere nos Spiritus sanctus potest: peculiaris illa memoremus quæ a Christo obtinemus. Et primo, beneficium incarnationis, quo Deus ad nos misit Filium suum. Secundo, beneficium doctrinæ, quo nos viam Dei in veritate docuit; quod fecisse Christum ipsi ejus adversarii testati sunt: *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces.* Et quomodo eam docere nonne potuisset, cum esset Dei Filius? Jam vero non ingens est beneficium, quod Deus legem naturæ et viam cœli per proprium Filium docere nos voluerit? Non docuit ita gentes olim, sed per creaturas tantum, rudi litteratura, legem naturæ subobscurè eis insinuavit per lumen naturæ et creaturas. Non ita Judæos, quibus per prophetas et quandoque per angelos locutus est, mysteria redemptionis et fidei per figuras tantum indicavit: *Novissime autem locutus est nobis in Filio suo,* per quem habemus tot insignes libros, concionatores, miracula, quot in nullis retro sæculis fuere. Jam vero si gentiles dicit apostolus ad Rom. 1. esse inexcusabiles quibus tamen per creaturas tantum lex innotuit: quis excusabit nos?

Tertium, beneficium exemplorum, ut nos vitæ suæ sanctitate ad virtutem traheret: id quod accurate præstitit Christus, quanta enim illa paupertas, nasci in stabulo? Non recipi in diversorio? Quanta miseria, pati mox persecutionem ab Herode? Quanta humilitas, latere per triginta annos inter homines, quasi nihil pluris quam homo et quidem ignotus esset? Quanta animarum zelus, reliquum vitæ consumere perpetuis prædicationibus, vigiliis, orationibus, jejunis, itineribus, lassitudine, frigore, æstu, fame, siti propter lucram animarum? Quanta misericordia, quibuscumque infirmis sanitatem impertiri, esurientes pascere, ignorantes docere, mortuos suscitare, peccatores absolvere et recipere? Quanta charitas, etiam inimicis benefacere et pro illis orare? Quanta humilitas, ad ægrorum ædes vocatum descendere, pedibus solum incedere, discipulorum pedes lavare? Jam vero quis nescit quam efficacia sint exempla ducum ad provocandos subditos?

Quartum, beneficium redemptionis a peccato et morte æterna, per passionem et mortem suam, quod omnia alia superat beneficia divina. In aliis enim Deus dedit nobis sua, in hoc autem seipsum. In aliis communicavit nobis doctrinam et virtutem suam; in hoc vero etiam vitam suam, qua charitate major non est, Domino teste. In aliis fecit pro nobis plurima, in hoc vero passus est quod longe difficilius. Certe Moyses et Elias loquentes cum Christo in ejus transfiguratione, beneficium hoc vocabant ex-

cessum, Luc. IX. Non excessit Christus in victu, quia jejunavit quadraginta diebus: non excessit in vestitu, quia non nisi duas pauperes tunicas habebat: non excessit in somno, quia erat pernoctans sæpe in orationibus; non in opibus cumulandis, quia non habebat quo caput reclinaret. Excessit igitur in solo amore, dum ipse prior pacem nobis obtulit, qui petere debebamus: pro nobis satisfacit, cui satisfacere debebamus: et cum una sanguinis gutta satisfacere potuisset, voluit totum effundere et innumeros cruciatus ac supplicia perferre, ut suum erga nos amorem testaretur. Inde tam copiosum nobis effudit gratiæ fluvium in sacramentorum institutione. Tantum est hoc vinculum ut de eo dixerit Christus: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Sed o Deus, cum sciamus te pro nobis exaltatum, adhuc reluctamur et trahi ad te nolumus!

Quintum, beneficium adoptionis et jus ad vitam æternam. Non enim solum condonavit nobis culpam et pœnam, sed præterea adoptavit nos in filios et hæredes regni sui. Satis liberaliter et præclare nobiscum egisset Deus, se condonato peccato reliquisset nos in statu naturæ, et pro mercede dedisset nobis statum angelicum, qualis angelis est naturalis. (Quanta enim res est, esse similem angelis immortalitate, agilitate, impassibilitate, sufficientia sui, exacta rerum omnium scientia?) Verum immensa illa bonitas supra has naturales dotes longe nos exivit, dum etiam filios et hæredes regni sui fecit.

Sextum, beneficium perpetui thesauri meritorum Christi, quibus, quoties volumus, abluamur a peccatis, et reconciliari Deo possumus. Quis pater, non dico princeps, ita clemens est ut paratus sit remittere quæcumque crimina quotiescumque committuntur? Vix reperias, qui bis vel ter ignoscat.

Septimum, beneficium eucharistiæ quæ est sacrificium et alimentum nostrum, in quo possumus merita Christi quodammodo edere et bibere. Unde merito exclamat S. Chrys. hom. LXI. ad pop. Antioch. *Heu mihi, quot ad salutem nobis via? Nos corpus suum effecit, nobis suum communicavit corpus, et horum nos nihil a malis avertit.* Propterea igitur primo, arguit nos Spiritus sanctus de peccato, quia non credimus in Christum, hoc est, quia vel non credimus saltem firmiter, vel non credimus fide viva: hoc enim est credere in Deum. Nam ex S. August. tract. XXIX. in Joann. credunt Deum, qui credunt Deum esse: credunt Deo, qui credunt dicenti: credunt in Deum, qui in eum ut finem ultimum cum intellectu et voluntate feruntur, per fidem et amorem. Jam, quod hæc tanta in-

nos contulerit beneficia Christus, dubitare nullo modo possumus; quod si igitur credimus, qua ratione fieri potest, ut tanto amoris incendio circumdati non accendamus? Quis tot testibus amoris Dei in nos non credat? Quis credat et non mox in ejusdem amorem exardescat? Accidit senili nostro saeculo quod in cano David, qui licet operiretur vestibus, non tamen calefiebat, II. Reg. 1. Ita enim senex jam mundus, licet tantis operiatur Dei beneficiis, tot muniat sacramentis, non tamen calefit, non inflammatur ad Dei amorem. Unde merito arguitur a Spiritu sancto. Neque vero putes te non arguendum aut damnandum aliquando propterea quod Deus adeo te amat: ne pollicearis, inquam, tibi Dei amicitiam; quia quo plura et majora accepisti beneficia, tanto magis argueris et tanto profundius in infernum demergeris, si hic arguentem non audieris. Quis enim nescit eum, qui a rege magnis muneribus affectus et civitati totius imperii amplissimae praefectus est, si prodicionem in regem molitur, tanto durius arguendum et castigandum, quanto majora accepit a rege beneficia? Annon Joseph a Putiphare principe exercitus Pharaonis primo quidem vehementer dilectus fuit et toti ejus familiae praepositus: simul atque tamen suspectus fieri domino suo coepit, licet per iniquam accusationem, non modo ab officio suo depositus, verum etiam in diuturnum et tetrum carcerem conjectus est? Gen. XXXIX. Annon Aman Assuero regi principio charissimus, post suam vero iniquam machinationem ab eodem mox in altissimo patibulo appendi jussus est? Esth. VII. Similiter ergo intelligamus velim nos quo plura accepimus beneficia et amoris signa a Deo, tanto gravius arguendos a Spiritu sancto, et si tot amoris vinculis ad Deum non trahamur, tanto gravius damnandos. Quid enim dicit Dominus de Capharnaum civitate? Civitate, inquam, sua, ut ait Matthaeus, c. IX. in qua communiter habitavit et tot signa fecerat? Quid dicit? *Et tu Capharnaum usque in caelum exaltata, usque ad infernum demergeris*, Luc. X.

II. Adhibuit fortius ni fallor vinculum pudoris: sanctorum infinita exempla, ut merito nos pudere debeat, si illis non trahamur. Exemplum, praedicatio et passio Christi, etsi nos vehementer trahunt et invitunt ad cenam ejus, non tamen nos inducunt, quia dicere possumus, Christum fuisse Deum: nos vero esse homines et quidem fragiles. Habemus igitur exempla sanctorum, qui nobis quoad omnia similes fuerunt, et ad cenam illam feliciter intrarunt et et adhuc intrare contendunt; ac proinde nos velut manu prehensos ad eandem introducunt. Pleni sunt talium exemplorum veteris et novi

testamenti libri: post hos ecclesiasticae historiae, primis praesertim temporibus Ecclesiae, quando plures multo de gentilibus conversi sunt ad fidem ob Christianorum exemplarem vitam, charitatem, misericordiam, innocentiam, patientiam, pietatem, etc. quam per praedicationem. Denique, non desunt ejusmodi justorum nostris etiam temporibus plurima exempla, tot millium religiosorum, qui relictis parentibus, opibus, dignitatibus, genere, severam amplectuntur vitam, tot aliorum qui in saeculo sanctitatis et justitiae fama celebres vivunt, ut nemo nisi amens haec negare audeat. Habemus sanctos in omni statu, clericos, laicos, reges subditos, litteratos, indoctos, divites, pauperes, nobiles, ignobiles, adultos, juvenes, mares, feminas. Habemus quos miremur, qui ingentia passi sunt, miracula fecerunt, severissime vixerunt: habemus quos imitemur, qui nec passi sunt, nec mira fecerunt, nec severius vixerunt, sed itinere plano incedentes sancti fuerunt: habemus qui semper innocentes sine lethali crimine vitam duxerunt: habemus peccatores, qui poenitentiam egerunt, et horum alii hora tertia, alii sexta, alii nona, alii undecima primum, et in articulo mortis gratiam, imo sanctitatem consecuti sunt. Hem quam vitam, quam planam fecerunt sancti viam caeli! Quot agmina praecesserunt martyrum, confessorum, doctorum, monachorum, virginum, viduarum, conjugatorum! Quot agmina adhuc sequuntur nostro etiam saeculo! Habemus enim viros in magna vitae asperitate et innocentia degentes. Quisquis Carthusianum, Paulinum, Capuccinum, videt media hieme, nudis pedibus, una toga, lecto stramineo et eleemosynis solis contentum, anni partem fere mediam strictissime jejunare aliasque corporis castigationes adhibere, habet unde pudeat, (si nihil tale agit) ac si non ex toto, saltem ex parte imitetur eos, quantum vires ferunt, jejuna, det eleemosynas, etc. Certe S. Hieronymus, in epist. ad Euseb. scribit sanctorum, qui suo tempore sciebantur, tantum fuisse numerum, ut praeter primum januarii diem (in quo gentiles sanguinem non fundebant) in singulos dies poni in martyrologio ultra quinque millia possent. Et tamen tunc nondum quadringentum salutis anni elapsi erant. Quis nunc erit numerus? Propterea igitur secundo arguit nos Spiritus s. *de justitia*, sanctorum scilicet et justorum, ut exponit S. Augustinus, qui et ipsi, uti et nos, Christum hic in terra non viderunt, et tamen crediderunt. (Quemadmodum Christus indicat dicens: *Quia vado ad Patrem, et jam non videbitis me*). Quomodo igitur asperum aut impenetrabile videri nobis iter caeli potest, quod tot

vestigis tritum est? Si nemo vel certe pauci ante nos ad cenam illam praecessissent, mirum forte non esset, si nos excusaremus: sicut non vehementer miror cur homines ante diluvium nullam sibi fabricarint arcam seu navim ad vitandum diluvium: quia neminem alium videbant arcam fabricare praeter unum Noem; atqui nunc o quot hominum centuriae ejusmodi arcam sibi fabricarunt fugiendo ad poenitentiam et innocentiam, qui non modo a diluvio iudicii nihil passi sunt, sed etiam cum arca sua ad altissimum caeli montem delati quieverunt? Cum in bello vident milites aliquem de se ob virtutem militarem ducem factum, alium signiferum, etc. reliqui mox aemulantur et animum adiungunt ad consequendos similes honores; cur non idipsum facimus in militia christiana? Quid enim prohibet ne ad sanctorum gloriam evehamur? Num gratia? Atqui illam orando consequi possumus. Num vires naturales? Atqui illi omnes homines erant ut nos. *Ibi tot pueri et puellae: ibi tot viduae et anus: ibi tot simplices et illitterati: Tu non poteris quod illi et illae?* Julius Caesar visa Alexandri M. statua ingemuit, quod ipse in ea aetate nihil adhuc praclare egisset, in qua Alexander jam pene totum subegerat orbem. Quam merito ingemiscimus et nos, quando audimus sanctos tam mirabilia virtutum designasse facinora, cum nos nihil horum adhuc fecerimus? Annon erubescimus, cum illorum vitam aspiciamus nostrae tam dissimilem? Saeviente in Christianos persecutione Diocletiani, Narcissus episcopus Augustam Vindelicorum venit profugus; et nescius, ubi diverteret, ad Afram mulierem paganam forte divertit, cum diacono suo Felice. Quae sibi conscia de publicae impudicitiae nota, primum eos turpitudinis studio eo deflexisse rata, cenam pro more instrumentum cibum accessisset, et primum toto corpore, vultu, oculisque ad orationem se componeret, illa, cui omnis orandi consuetudo non modo incognita, sed ne visa quidem esset, insolita pietate stupefacta inquisivit quis esset. Cumque Christianorum episcopum esse cognovisset, mox salutari pudore suffusa, et timore pariter correpta, ad ejus se pedes abiecit, ac impudicitiae labem ultro est confessa. Ita S. Albanus a paganismo per clerici cujusdam, quem hospitio receperat, piam et sanctam vitam ad Christum conversus est, et tandem martyr effectus, apud Bedam, l. 1. hist. Anglicanae, c. VII. Hujusmodi salutari pudore et stimulo occupari deberemus, cum sanctorum gesta inspicimus eoque extimulari ad eorum imitationem.

III. Adhibuit timorem, omnium fortissimum

vinculum, quo compellat nos intrare: comminando nobis iram Dei et in ultimo suo adventu iudicium severissimum et gehennam. Praedixit enim Dominus toties ibi fore privationem beatitudinis: *Discedite a me maledicti*, et illa puniendos, qui non fecerint bona opera: praedixit ibi fore tenebras exteriores, et illic mittendum qui non habuerit vestem nuptialem: praedixit ibi fore ignem aeternum, et in eum mittendas esse paleas, zizania, infructuosam arborem, palmitem a se separatum, etc.: praedixit ibi fore vermem rodentem immortalem, et eo cruciandum qui scandalizatur: praedixit ibi fore fletum et stridorem dentium, daemonum societatem, etc. Quorum vel unicum satis nobis esse deberet, ut converteremur, et virtutem amplecteremur. Propterea igitur Spiritus sanctus arguit nos tertio *de iudicio*, quia princeps hujus mundi jam iudicatus est, id est, (ut exponit Augustinus) quia cum sciamus caput impiorum daemone, ob peccatum caelo exturbatum, et in orcum esse detrusum, similem poenam subituros peccatores, utpote membra et subditos illius, non est dubitandum. Si enim princeps malorum daemonum, princeps angelorum fuit, et modo Lucifer, modo signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore nominatur, cujus ornamentum fuit omnis lapis pretiosus: quem aemulata sunt omnia signa paradisi, si hic, inquam, praestantissimus, sapientissimus, et pulcherrimus angelorum propter unum peccatum e caelo exturbatus et in abyssum praecipitatus est, unde sibi peccatores, qui saepe totos annos in plurimis peccatis herent, eadem scelera saepissime repetunt variaque accumulunt, blandiri de Dei benevolentia possunt, quomodo non merito formidabunt? Jam ergo qui fieri potest, ut adhuc tanta facilitate et quasi per risum peccemus, si persuasum nobis est Deum irrevocabili sententia statuisse, ut qui in peccato lethali moritur, aeterno supplicio addicatur? Si edicto principis nostri cautum esset, ne quis de nocte, in plateis vagaretur, suspensio proposito, quis quae hoc attentaret? Et si forte quis id fecisset, quomodo non ejus facti testes vehementer pertimesceret? 1. Reg. XIV. praeeperat Saul militibus suis decem mille ut ne comederent quidquam usque ad vesperam, sub poena mortis. Quam legem adeo timuere milites, ut licet esurientes transirent per agros, ubi coram ipsis mel fluebat, nullus tamen applicuerit manum ad os, ut gustaret mel, excepto uno Jonatha filio Saulis, qui quoniam legem illam abstinentiae non audierat, in summitate virgae suae gustavit parum mellis: non gustaturus profecto, si juramentum patris audisset. Ecce tantum potuit poenae mortis com-

minatio, ut in maxima tentatione, et presenti suavi que delinquendi occasione, nemo deliquerit tot virorum, alioqui temerariorum, quales plerumque sunt milites; et quomodo nos non coeret gehennæ comminatio, ne manum ad peccandum et sæculi voluptates extendamus? Jonas propheta ad Niniven trium dierum civitatem a Deo missus et clamare jussus: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur, cepit intrare in civitatem itinere diei unius et clamare; et statim: Pervenit verbum ejus ad regem et crediderunt viri Ninivite in Deum, et predicaverunt jejunium, et vestiti sunt sacco a majore usque ad minorem.* Jon. III. Ecce tanta civitas prophetæ comminationes terretur et agit poenitentiam: quomodo non arguit nos Spiritus sanctus si post istas multo graviores comminationes adhuc peccatis indormimus? Sed fortasse non credimus comminationibus Christi? Propterea: *Viri Ninivite, inquit Dominus, Matth. XII. surgent in judicio cum generatione hac (nobiscum) et condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in predicatione Jonæ, et ecce plusquam Jonas hic.* Sed quis vidit inferni ignem? Dicet aliquis: Quis inde ad nos remeavit ut vera hæc esse renuntiaret? O stultam questionem! Propterea enim lacus inferni tanto magis extimescendus est, quod nemo inveniatur, qui emergere ex illo poterit. Si enim aliqui emergerent, sperarent etiam alii inde se reversuros. Nunc autem cum nullus redeat, argumentum est lacum illum tam profundum esse et portas ejus adeo obseratas, ut inde se subtrahere impossibile sit. Doceat nos in hæc re fabula illa de vulpe, quæ invitata ad specum leonis, cum vidisset plurima ingressorum animalium vestigia, nulla vero reversorum, recusavit ingredi dicens: *Quia me vestigia terrent, omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.* Quinetiam non pauci ad vitam revocati, horribilia de inferno nuntiarunt, et vera esse declamarunt arctissima sua vita, quam post ejusmodi revocationem tenuerunt, ut scribunt S. Gregorius, Joannes Climacus et alii. Et ut ista non essent, non sufficiat nobis Christum ea de re tanta dixisse? Qui videbat quæ in celo fiebant, non potuit videre quæ in inferno? Annon ipse dixit: *Videbam Satanam sicut fulgur de celo cadentem?* Luc. X. Denique, si teste Arist. I. II. de anima, sect. CLIV. sola opinio mali imminetis sufficit ad timorem generandum: non sufficiat nobis fidei certitudo tam multipliciter comprobata in re summi momenti? Si audiremus ante portas civitatis esse terribilem leonem, quis egredi tentaret, licet facile fieri posset, ut a leone non videretur? Arguit igitur et meritissimo arguit nos Spiritus sanctus, si tam nervosis vinculis non trahimur ad poeni-

tentiam, non allicimur ad virtutem. Atque utinam arguentem audiamus; quia hic arguit ad salutem, monet instar Noe ut fabricemus nobis navem poenitentiam, ut fugiamus ad arcam. Væ autem nobis si non audierimus: quia veniet aliquando judex, et arguet ad interitum; quod toties depreceatur David dicens: *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Quis dubitat homines tempore Noe, quando jam viderunt diluvium invalescere, seipsos redarguisse ac dixisse: O Noe, o Noe quam fideliter nos monuisti! Quam vere nobis Noe et consolator eras! O si nunc adesses! Quam prompte, quam hilariter ad tuam nunc vellemus adnatare arcam! Quam miseri et cæci fuimus, qui decenti non credidimus! Hæc nos auditores crebro expendamus, ne in diluvium gehennæ improvidi incidamus.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

I. Mors charorum æquo animo ferenda. — II. Superior subditorum potius studeat commodis quam propriis. — III. Ecclesia et pastores ejus debent etiam arguere. — IV. Superiores condescendant inferioribus, fortiores debilioribus. — V. Veritas non nisi in catholica reperitur Ecclesia. — VI. Spiritus prophetiæ tantum in Ecclesia catholica.

THEMA.

Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Joann. XVI.

D. Augustinus, I. II. de doct. christ. asserit gentilium philosophorum asserta, dicta et facta, quando fidei nostræ accommodata et conformia sunt, non solum non formidanda aut fugienda esse, sed ab eis etiam tanquam ab injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. Idque probat exemplo Hebræorum, qui ex præcepto Dei stumpsērunt ab Ægyptiis multo vasa et ornamenta de auro et argento, vestem quoque plurimam, Exod. XII. sibi retinenda ad meliorem usum. Ad eum enim modum posse nos de gentilium moribus, dictis et gestis ea nobis applicare ad meliorem usum, quæ ipsi ex rationis lumine prudenter et eruditè scripserunt, dixerunt ac fecerunt. Ex gentilium igitur penu desumptum est, quod scribit Elianus, I. XIV. c. XXXIV. summum sacerdotem apud Ægyptios (qui et supremus eorum judex erat) gestasse collo appensam imaginem, saprophyro insculptam, cui nomen erat *erita*, quod ipsi existimarent nullam magis dotem præter istam convenire sacerdoti. Conformis est hic ritus illi Hebræorum, quorum summus sacerdos in rationali gestabat inscripta duo illa nomina: *Doctrina et veritas*, Exod. XXVIII. Nos

igitur hunc ritum nobis applicantes, dicimus Christum Dominum hujusmodi sacerdotem esse, qui in pectore suo gerat Spiritum sanctum ab ipso procedentem per armorem Patris reciprocum, cui nomen *veritas*, seu *Spiritus veritatis*, uti vocatur in hodierno evangelio a Christo. Et quoniam hic Spiritus loquitur in Ecclesia per os doctorum, non male etiam dixerim verbi Dei præcones gerere in pectore suo imaginem veritatis. Itaque auditores, non est quod metuatis ne in concione falsa vobis pro veris obtrudantur, aut erroneum quid proponatur. Non patitur hoc Christus in Ecclesia catholica, non fert Spiritus veritatis; cuius opera et afflatu depromemus nunc veritates, quas in hodierno evangelio deprehendimus.

I. Mors charorum nostrorum æquo et forti animo ferenda est, nec eo modo deplenda, quo modo mors infidelium. Docet hanc veritatem Christus in hodierno evangelio, cum videns suos discipulos ex prædicatione mortis suæ facte esse tristes asserit mortem suam professionem esse ad Patrem. Eandem confirmat apostolus 1. Thess. IV. dicens: *Non contristemini* (de dormientibus) *sicut et ceteri, qui spem non habent, etc.* Quia nimirum ut insinuat, mors Christianorum somnus potius est quam mors. Ubi non omnem omnino tristitiam prohiberi audimus; (hæc enim naturalis est), sed inordinatam et immoderatam. *Contristamur nos*, inquit S. August. ser. XXXII. de verb. apostoli, *in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi, inde tristamur, hinc consolamur.* Antonius Pius imperator mortem suam deferri noluit, quod diceret se vocari a diis non ad mortem sed ad vitam, Jul. Capitolino auctore. Verum inanis hæc illius persuasio et vana spes, hominis nimirum gentilis fuit. Verius multo nos Christiani dicimus vocari nos a Deo ad vitam immortalem ac beatam, cum hinc evocamur. Habet quidem mors amarorem sibi innatum, verum eum Christus mitigavit sua morte et resurrectionis spe, quomodo Moyses aquas amaras injecto ligno, quod dulcorandi vim habebat, dulces et potabiles reddidit, Exod. XV. Dulce hoc lignum et glycyrrhiza est spes beatæ vitæ. Quamquam et gentiles aliquos scimus mortem charissimorum forti et invicto tulisse animo. Sane illorum exemplo consolatur S. Hieronymus Heliodorum in Nepotiani nepotis morte. « Quid memorem Romanos duces? inquit. Pulvillus Capitolium dedicans, mortuum ut nuntiabatur subito filium, se jussit absente sepeliri: L. Paulus septem diebus inter duorum exequias filiorum triumphans urbem ingressus est. » (Etenim Paulo Emilio triumphanti filius unus quadriduo ante, alter triduo post trium-

phum expirarat), demum subjicit: *Hæc in suggestionem nostri breviter dicta sunt; si non præstet fides, quod exhibuit infidelitas.*

II. Subditorum magis commodis studere quam propriis debet, qui præest. Ita enim Dominus: *Expedi vobis*, inquit, *ut ego vadam.* Vobis inquit, non mihi, quia nimirum Spiritum sanctum missurus illis erat, Aristotele auctore, I. VIII. Pol. cap. X. hæc est differentia inter principem et tyrannum: *Tyrannus suum ipsius commodum spectat et quaerit: rex subditorum. Porro respublica non est regis, sed rex est respublicæ*, inquit Claudianus ad Honorium. Respublicæ ergo potius quam sibi servire debet: quemadmodum caput comedit, loquitur, videt, non tam sibi quam toti corpori. Videre id est in Davide, qui ob suum unius peccatum adveniens puniri subditos lue pestifera, conversus ad Dominum exclamavit: *Ego sum qui peccavi, ego inique egi, isti qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me.* II. Reg. XXIV. In S. Gregorio Nazianzeno, qui cum ab orientalibus episcopis deposceretur in patriarcham Constantinopolitanum, reclamantibus Ægyptiis episcopis, quo pacem publicam conservaret, cessit electioni suæ, id Jonæ usurpans: *Si propter me orta est hæc tempestas, mitte me in mare, ut vos facturi desinatis.* Audiamus et gentiles. Cum ingens rei frumentariæ penuria esset Romæ, Cnæus Pompeius annonæ procurator in Africam, Siciliam et Sardiniam navigavit, multaque frumenti vi collecta, Romam ire prope-ravit. Verum cum ingenti tempestate oborta nautæ detrectarent navigationem, ipse primus navim ingressus, jussit anchoras tolli clamans: *Ut navigemus urget necessitas: ut vivamus, non urget.* Patriæ ergo periclitantis majorem quam propriæ incolumitatis rationem habuit, Plut. in Rom. apoph. Trajanus imperator cum vulneratis militibus fasciæ deessent ad obliganda vulnera, vestem suam conseidit, et in eum finem militibus distribuit, Sabel. I. IV. Alexander Macedo militem senem frigore obstupefactum, ac pene enectum cernens, surrexit de suo solio, quod propinquum igni erat, militemque ei imposuit, unius etiam militis incolumitatem propriæ dignitati præferens, Val. Max. I. V. c. 1. Porro si hæc gentiles, quid facient Christiani?

III. Non consolari solum, sed et suo tempore arguere et punire debet Ecclesia, et qui in ea præsumunt. Audimus enim in hodierno evangelio Spiritum sanctum (qui præses est Ecclesiæ) non solum esse paraclitum et consolatorem, verum etiam censorem, qui vitia redarguit et punit. Judicavit aliquando Hebræos femina quædam prophetissa, nomine Debbora, quæ vox apem significat, indicatque rectorem populi quasi